



**E**Gmondanus in Belgia ex illustri comitū fami-  
lia natus fuit. Hic in omni genere uirtutū edu-  
catus, pacis & belli studia optimè nouit, atq; ideò  
Carolo Cæsari gratissimus fuit. Itaq; Imperator Eg-  
mondanū inter consiliarios habuit, & res maximas  
expediendas commisit. Cum enim filio suo Philip-  
po Mariam Angliæ reginam uxorem peteret, atq;  
amplissimam legationem, cōfirmandi matrimonij  
causa, in Angliam mitteret, eius legationis principē  
Egmondanum cōstituit, qui etiam id quod uoluit  
impetrauit, anno 1554. Pari ratione & bella feliciter  
administrauit. Cum enim Galliæ rex Henricus Bel-  
giam hostili exercitu anno 1557 inuasisset, Philippus

Cæsaris filius, cui pater Flandriam & Burgūdiam resignauerat, hunc Egmon-  
danum cum alijs præclaris ducibus suis copijs præfecit, atq; eorum ductu ad  
S. Quintinum Gallos memorabili prælio uicit. In eo potissima laus Egmon-  
dano tributa.